

tu manes ne laede meos, sed parce solutis  
    crinibus et teneris, Delia, parce genis.  
interea, dum fata sinunt, iungamus amores:  
    iam veniet tenebris Mors adoperta caput,  
iam subrepet iners aetas nec amare decebit,  
    dicere nec cano blanditias capite.  
nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes  
    non pudet et rixas inseruisse iuvat.  
hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque,  
    ite procul, cupidis vulnera ferte viris,  
ferre et opes: ego conposito securus acervo  
    despiciam dites despiciamque famem.

Liber primus, 2

Adde merum vinoque novos conpesce dolores,  
    occupet ut fessi lumina victa sopor,  
neu quisquam multo percussum tempora baccho  
    excitet, infelix dum requiescit amor.  
nam posita est nostrae custodia saeva puellae,  
    clauditur et dura ianua firma sera.  
ianua difficilis, domini te verberet imber,  
    te Iovis imperio fulmina missa petant.  
ianua, iam pateas uni mihi, victa querelis  
    neu furtim verso cardine aperta sones.  
et mala siqua tibi dixit dementia nostra,  
    ignoscas: capiti sint precor illa meo.  
te meminisse decet, quae plurima voce peregi  
    supplice, cum posti florida sarta darem.  
tu quoque ne timide custodes, Delia, falle:  
    audendum est, fortes adiuvat ipsa Venus.  
illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,  
    seu reserat fixo dente puella fores;